





DE CAUSIS PESTILENTIAE. J. F. BOCCALINUS 1556











DE CAVSIS PESTILENTIAE VRBEM VENETAM

OPPRIMENTIS ANNO M. D. LVI.

IO. FRANCISCO BOCCALINO
Asulano Medico, Authore.

EIVSDEM IN MARSILII FICINI
Consilium annotatiunculæ. Modus quo quisq; Pestem precauere poßit.

DE ARCENDIS HOMINIBVS
contagioso Morbo affectis, ab aliorum societate breuis ratio.



CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS APVD GABRIELEM IOLITVM
DE FERRARIIS. M D LVI.



PETRVS LOVISELLVS BRIXIENSIS MEDICVS LECTORI. S.





VM ijs diebus essem apud Io. Franciscum Boccalinum Philoso-phum, ac Medicum præstantissimum, simulqúe rogassem, ut de ortu Pestilentiæ, per urbem Venetam nunc uagantis, suam mihi aperiret sententiam (sæpius nanqúe de re Medica ipsum quippiam interrogare consueui) non modo id præstauit libenter, sed etiam plurima (illa qua in omnes discere quæritantes liberalitate, & animi utitur alacritate) scitu digna addidit:

quibus statim cupiditate affectus sum in credibili, ea ut mihi in scriptis traderet, quæ uerbis prius, loculenter, & docte enunciauerat. Petenti, annuit ille libellumq́ue dono dedit, quem superioribus mensibus in clarißimi Equitis Mar. Antonij Amulij gratiam conscripserat. Quem cum plurimæ utilitatis futurũ sperarem, non mediocri labore edendum esse curaui: & si enim quædam prius ab alijs tradita in eo forte inueniantur, tanta tamen breuitate, elegantia, & claritate nunc explicata sunt, ut unusquisque, quæ sibi delegenda, quæ ue fugienda sint (ijs præsertim temporibus) facile ex se ipso assequi poßit. Tu uero, si quid huius uiri nomine minus dignum inter legendum comperieris candide lector, id boni consulas rogo; meq́ue qui opusculum ab authore minus castigatum, & eo plane inuito, pro multorum usu ediderim, excusatum habe. Vale.



CLARISSIMO EQVITI AC SENATORI OPTIMO MARCO ANTONIO AMVLIO.



IO. FRANCISCVS BOCCALINVS MEDICVS S. D.



VANQVAM ea in me minime agnoſcam, quibus tu (forte nimio amore ductus) me præcellere putas, eam tamen (Dei optimi, & maximi munere) mentem in me comperio, ut amicis quippiam in re Medica petentibus, cupiam ſatisfacere. E quorum numero (quæ tua eſt humanitas) iampridem te eſſe cognoui, ob quam ita me tibi debere fateor, ut plurimo etiam alieno fœnerato ære ſufficere nequeam, ſatis erat profectò à tam laudato viro me laudari, & amari, ea tamen tua eſt munificentia, & liberalitas, ut me no

uis beneficijs afficere non intermittas, quibus ita tibi ſum addictus, ut nullus ſit tam arduus labor, quem tui cauſa ſubire non debeam, tantum abeſt, ut ijs, quæ a me petis, quantum per imbecillitatem meam licuerit, reſpondere grauer, quid enim mihi accidere poſſet optabilius, quàm tibi doctiſsimo, & ſplendidiſsimo viro in re vitæ tuæ tam neceſſaria gratificari? Preſertim cum tanta ſit doctrinæ tuæ elegantia, fidei, & probitatis domi, foriſque magnitudo, ut non modo Venetæ Reipublicæ Senatus te habeat chariſsimum, ſed aſsiduis etiam precibus Deum orare non deſinat, ut Neſtorios annos tibi largiri dignetur. Triplici vero ordine illa obſignare voluiſti, tum quòd impari numero Deum lætari ferant, tumquòd ternarium numerum reliquos omnes longe præcellere circa initia libri de Cœlo, & Mundo ſcriptum reliquerit Ariſtoteles. Petis igitur in primis a me ſummo ſtudio: num ex veterum auctorum lectione aliqua obſeruauerim, quibus peſtiferi morbi totam penè vrbem obſidentis impetus coherceri poſsit. Petis ulterius ut de ijs, quæ Marſilij Ficini conſilio accepta feruntur, quid ſentiam tibi ſignificem. Quorum primum difficile fuerit, nam varia hominum iudicia (mirabile dictu eſt) quàm magnas afferãt ad intelligendum difficultates. Secundum

vero maximæ impudentiæ, aut arrogantiæ vitium mihi ad ſcripturum eſſe vererer (ut qui non ignorem quanti faciant docti ferè omnes Ficini placita, quorum perpauci reperiuntur, qui eius reconditam lectionem, diligentiam exactam, grauiſsimum in rebus arduuis iudicium, & ingenuæ mentis candorem non admirentur) niſi plurimos in hoc felici ſeculo inueniri ſcirem, teque in primis, qui hominum nomini, vel auctoritati non tantum tribuunt, quantum veritati, & rationibus credunt. Itaque ea de re factum eſt, ut aliquam ſpem habeam fore, ut nominis tui clypeo munitum, veritateque ipſa (cui indeſinenter patrocinari ſtudeo) uti inuicto Duce prægrediente: me huius laboris, atque induſtriæ non pœniteat. Tertium autem quod petis me non grauabit plurimum, quòd id agam libenter, & quòd licet arduum ſit conſilium aliquod edere, quo in uniuerſum huius ciuitatis incolæ a Peſtilentia præcaueri poſsint (neque enim omnibus eadem eſt natura, neque una eſt in uſu viuendi ratio) tibi tamen cuius temperiem, ac mores exacte cognoui, quibus præſidijs id agi poſsit, Methodo tradere non erit difficile.

PRIMVM igitur aggredior, ſi tamen antea non nulla breuiter, ſtrictimque attigero, quæ viam aditumque præſtant ijs, qui ad di-

cendorum intellectionem facile peruenire cu piunt: primo itaque ſcire opportet, quod cum duplex ſit Medicina, altera quæ iam factum morbum curat, & altera quæ imminentem, ſeu naſcentem propulſat, omiſſa priori, ad hanc tantum me conuertam: quæ expectationi tuæ magis reſpondere videtur; quæque nobilior, & magis neceſſaria exiſtit. Rurſus vero cum omnes morbi, qui (ut ita di cam) in fieri conſiſtunt, cauſas habeant, qui bus non cognitis, & planè ſublatis præcaueri nequeunt, idcirco huius quoque peſtilentiæ cauſæ a nobis prius ſunt venandæ, ut ijs ablatis, ab eo quem parere poſſunt effectu præſeruari poſsimus: eſt autem omnibus in confeſſo, Galeno præſertim capite quinto, libri primi de Differentijs febrium, Peſtilentiæ duas potiſsimum eſſe cauſas, Alteram aeris vitium: alteram vero prauos ſuccos in corpore collectos. Vitiatur aer a ſeminarijs peſtilentiæ, quæ ab affectis corporibus, vel alijs rebus in quibus ſeruabantur, interdum etiam ex una in aliam regionem a ventis per continuum in ipſum defferuntur; quomodo ex Æthiopia in Græciam quædam confluxiſſe legitur; quo tempore plurima hominum cadauera, quæ in prælijs cæſa fuere, incremata, inhumata ue computruerunt. Aut in eo generantur, ac per minimas partes ſibi

adeò commiſcentur, ut idiotæ aeris ipſius ſubſtantiam corruptam eſſe putent, quod tamen iam diu ab omnibus ſapientibus eſt exploſum, qui enim fieri poteſt, vt putredo (quæ alioqui mixtorum eſt propria) corpori elementari, eaque ratione ſimplici, tribuatur? Quorum interdum tanta eſt copia, tanque illorum ſæua putredo, ut pauci reperiantur, qui illorum malitiam exuperare poſsint. Sæuiunt ſiquidem in cuiuſque ordinis homines, neque dominis magis parcent quàm ſubditis, ſiue ij viri ſint, ſiue fœminæ, ſiue natu maiores, ſiue pueri, optimas temperies demoliuntur, uitiatas populantur, probis edulijs utentes inficiunt, magis vero promiſcue vi ctitantes. Quamlibet enim cauſarum iuxta patientis corporis diſpoſitionem agere, capite de febre peſtilenti, libro primo de Differentijs febrium nos monuit Galenus. In hoc aeris ſtatu innumeri penè homines pereunt, nec prius obire deſinunt, quàm aer in caliditatem, aut frigiditatem inſignem fuerit permutatus: ijs nanque qualitatibus (ſi validę fuerint) ob earum maximam in agendo vim ſeminaria reluctari nequeunt, ſed ab illis deuicta extinguntur, aeremq; relinquunt purum, qui ab incolis inſpiratus non amplius putredinem excitat, ſed innati caloris naturam ſeruat, ſpirituſque fouet, & alit, ipſoſque ſer-

uat incolumes. Talem ſiquidem peſtilentiam immani cuidam feræ, libello de commoditatibus Theriacæ ad Cæſarem, ſimilem fecit Galenus, quæ non modo homines enecet, ſed etiam vrbes diſſolet. Hanc omnipotens Deus bonitate ſua a nobis auertere dignetur: in ea nanque Medici ita conſilij inopes redduntur; ut ad vitiatæ regionis fugam, tanquàm ad ſacram Anchoram, confugiant, aiuntque tria illam aduerbia Cito. Longe. Tarde maiorem tunc uſum præſtare poſſe, quàm totius illius prouinciæ Medici, ſeplaſiarij ue cuncti. Neque conſilium quorundam nimium (iudicio meo) moroſorum hominum admittunt, qui clamitant non decere Chriſtianos a locis inquinatis ſecedere, neque mortem quæ ſtatim nato homini Dei optimi iudicio debetur, formidare, minuſque erumnas eius æquiſſimo nutu imminentes precauere: quando tam in veteri, quàm noua ſcriptura legimus, plurimos, eoſque ſanctos viros mortis diſcrimen aufugiſſe, id quod Dominus, & Saluator noſter nobis etiam præcepit inquiens, ſi vos perſequuti fuerint in una ciuitate, ite in aliam.

Interdum vero minori malitia vitiatur aer, tum quòd ſeminariorum minor ſit copia, nec illorum tam ſæua putredo, id autem euenit, ubi materia fuerit pauca, nec eius ualde elaborata ſit mixtio, unde eos tantum detur-

bant, qui corpora habent ad ſuſcipiendum parata, in hunc aeris ſtatum paſsim nunc vagantis peſtilentiæ cauſam referendam eſſe reor, nam & ſi non negarem aliquos reperiri, qui ab alijs hominibus, aut a rebus ſeminarijs reffertis hanc luem contraxerint, mihi tamen videre videor plurimos ex ijs quos illa exagitat malorum ſuorum originem ducere ab illa, quæ in aere continetur, putredine: quam non modo prænuntiarunt præterita, ſed etiam indicant præſentia. Quæ præceſſerunt non modo in ijs inferioribus apparuerunt, ſed & aer ipſe ſuas dedit notas. Pręceſſerunt ſiquidem ingentes temporum mutationes, quæ ut dicit Hippocrates libri tertij, aphoriſmo primo, potiſsimum pariunt morbos, & maxime ſi plures fuerint, una poſt aliam, ut in explanatione aduerſus Quintum probe declarat Galenus. Neque enim aliqua pars anni præteriti, minuſuè pręſentis, propriam naturam ſeruauit. Quinimo omnes fuerunt Auſtrales, & plurimam obtinuerunt humiditatem, quæ ab imbecillo calore acta, peſtilentiæ ſeminaria in aere concreauit. Quæ dum forent mitiora variolis, morbilliſuè pueros, plurimos etiam natu maiores, mulieres præſertim, exagitarunt. Vidi namque interdum duo de viginti Moniales in eodem cœnobio ijs morbis ſimul correptas, quarum in

nior vicesimum agebat annum. In aere verò varia Phœnomena (in primisque vocati cometæ) apparuerunt: quæ, & si Regum, vel maximorum virorum interitum, iuxta vulgi sententiam, prænunciare non putem: illa tamen aerem pluribus exhalationibus crassis, & pinguibus esse reffertum indicant. Quæ licet sui natura pestilentiam futuram non prænuncient (calida nanque, & sicca cum sint ignem in illo sæpius excitare solent, quo omnis putredinis soboles deleri possit) si tamen post illorum apparitionem aer turbidus, nebulosusque conspiciatur, futuræ pestilentiæ maximum fuerit inditium. Plurimos nanque vapores in eo collectos esse indicat, qui a calidis, siccisuè exhalationibus, absumi non potuerunt. In præsentiarum vero aerem vitiatum esse indicant nubium multitudo, & assiduitas, largas, ac plurimas pluuias minitantium, quæ tamen raræ omnino sunt, & exiguæ. Febres plurimę mali moris, quas punticula, seu lenticulas vocant, ex quibus ingens hominum copia perit. Febres vero pestilentes in plebem ita crassantes, ut nemo (præter paucos) alios morbos experiatur proinde cum omnibus ferè ægris ij morbi sint communes, ac plurimum enecantes: non modo pestilentes dici debent, sed etiam unam esse illorum causam maxime uniuersalem censendum est,

quæ iuxta corporum diſpoſitionem id agat; hanc autem eſſe aerem, nemo eſt, qui iure quopiam ambigere poſsit, nam ex ijs, quæ corpori humano neceſſario occurrunt (procatarticas, ſeu continentes cauſas vocant) nulla eſt præter eam, quæ totius prouinciæ, vel ciuitatis incolas eodem modo afficere poſsit. Sæuit igitur in homines vitiatus aer, non tamen omnes æque exturbat, ſed eos tantum, qui ob annonæ caritatem, praui ſucci cibos, (quorumcunque erat copia) eſitarunt, & aquam, ſeu quampiam aliam potionem ſemi putridam haurire coacti fuerunt: talia ſiquidem alimenta humores putredini omnifariam pariunt obnoxios, quique corpus humanum alere, aut vires ſeruare minime poſſunt, ſed illas exhauriunt magis, & funditus corrumpunt, quod ut ratione oſtendi poteſt, ita etiam experimento conſtare nobis indicat hiſtoriola illa, quam perpulchre deſcribit Galenus, circa initia libelli de cibis boni, & praui ſucci. Narrat ſiquidem Agricolas, quibus ob annonæ paucitatem parum leguminum, non dixerim tritici, vel hordei, ab urbium incolis relictum fuerat, ijs conſumptis, ad praui ſucci cibos (quoſcunque uberius illis ſors contulerat) confugere coactos fuiſſe. Quapropter nonnulli ultimo vere, plurimi vero ineunte æſtate, multis varijſque morbis pe-

rierunt: ex quibus, inquit ipſe, dignoſcere licet, quantam vitioſi corporis ſucci ad gignendos morbos vim habeant. Quoque magis circa hoc conſidero, videtur mihi ſtatum hunc capite ſuperius citato ſic deſcribere Galenus, ut non ſcribere, ſed rem oculis ſubijcere videatur, quod euidentius conſtabit, ſi eius verba adſcripſero: poſtquàm enim nos monuit ſemper memoria repetendum eſſe, nullam cauſarum agere citra corporis diſpoſitionem. Supponatur inquit in ambiente aere nonnulla peſtilentiæ ſemina contineri, ac ea, quæ ab ipſo contanguntur corpora, nonnulla eſſe uarijs ſuperfluitatibus plena, iam ex ſeipſis ad putreſcendum parata, nonnulla vera pura, atque inutili materia carentia. Ac primis quidem adiungatur in multis partibus obſtructio foraminum, atque ea quæ Plethora vocatur, vita ocioſa in multis crapulis, ac rei Venereæ uſibus immoderatis, atque ijs, quæ neceſſario omnia, quæ nuper diximus, conſequuntur, cruditatibus: reliquis vero omnibus corporibus puris, & ſuperfluitatibus carentibus. Adſint præterea alia bona, libera in omnibus ſpiratio meatibus, cùm obſtructionibus, atque adſtrictionibus carent. Exercitia etiam ſint moderata, victus temperatus. Ac deinceps ijs ſuppoſitis: cogita quomodo utraque corpora affici ſit neceſſarium

ab eo, quem inſpirant, aere peſtilenti. An non rationabile eſt illa quidem ſtatim à prima inſpiratione principium putredinis ſummere, ac plurimum in malo procedere? Quęcunque vero munda ſunt, ac ſuperfluitatibus carent, nonnulla quidem nihil, nonnulla vero minimum mali ſentire, ac facilem ad naturalem habitum habere regreſſum? Sic & aeris temperatura: hæc Galenus. Verba autem Græca ex propoſito adferre nolui, minusq́ue ea ipſe vertere decreui, ſed ex Leoniceni primi iacentis Medicinæ reſtauratoris verſione, recenſere, ne quando aliquid addidiſſe, vel ſubtraxiſſe, quod propoſito meo faueret, aliquis opinari poſsit. Sic dixerim & ego. Sint non nulla in continente nos aere peſtilentiæ ſeminaria, hoc eſt pauca, non ne rationabile fuerit illos ſtatim eo inſpirato affici, qui cuiuſcunque ordinis praui ſucci edulijs uſi ſunt? quiq́ue ex qualibet vel leui cauſa in morbos incidere poſſent, eos vero qui probos ſuccos mediocriter continent, quique ad ægrotandum minime procliues ſunt nequaquam? Rem vero ſic ſe habere, ſi proportionem inter ambos ſtatus quiſpiam conferre voluerit, liquido cognoſcet, nam ſeminariorum æqualis quantitas, & corporum ſimilitudo, ut puto, inter utrunque proportionem oſtendet, quam eſſe uniuocam non ſupradi-

cta modo, sed etiam sequentia commonstrant. Magnam vero siluam notarum ex quibus præsentis pestilentiæ seminaria in aere contineri dignosci potest, volentes omisimus: quòd ab alijs scriptæ sint innumeræ, & quòd ex ijs, quæ dictæ sunt (præcipue cum simul fuerint coniunctę) firmam, validamque huius rei habeamus demonstrationem, ijsq; sic habitis, nullus amplius ambiguitati relinquatur locus. Quid vero illa sint, habent dubitationem, sunt autem exilia quædam corpuscula, aeri plurimum permixta, quæ vaporibus in ipsum eleuatis facta sunt, trahunt siquidem superiora corpora in aerem perpetuo è terra, & aqua, vapores, exhalationesq;, ex quibus rores, pruinæ, imbres, niues, grandines, nubes, fulgura, tonitrua, & omnia vocata phœnomena generantur, veluti fuse in libris metheororum Aristoteles declarauit: qui si fuerint immodici, a calore aeris agitantur, donec solidam aquirant putrefactionem, qua pestilentes fiunt, naturæque humanæ maxime aduersi. Sordida vero illa dicitur putrefactio, quæ adeo est profunda, ut id quod alteratur, ad totum usque computrescat, at si putridi sint aeri commixti medijs pulmonibus per inspirationem, vel è paruis poris, & arterijs, in maiores, & ab jis in alias feruntur in cor, ac si ad sanguinem, alios

que

que humores habuerint proportionem, eis putrefactionis ſobolem impertiuntur, qua, & alia ſimilia generari poſſunt, & putrida peſti lenti febre homines perimere. Si vero primi genium ſolidarum partium cordis humorem coaffecerint, Hecticam peſtilentem pariunt. Neque quorundam hominum iudicium pro bo, qui Hæcticam febrem peſtilentem reperiri non autumant, nam & ſi peſtilens febris, quæ peracutus eſt morbus, protrahi non po teſt, donec ſolidarum partium humorem de paſcatur igneus calor (quod illi obijciunt) nihil tamen prohibet, quin illum ſtatim faciat efferueſcere, hanc autem humoris primigenij efferueſcentiam Hecticam febrem ſimplicem, illam vero tabidam libro primo de differentijs febrium vocauit Galenus, quod cum non obſeruaſſent, ſtatim cum Auicenna lapſi ſunt, qui dum Hecticarum febrium modos diſtinguere putaſſet, non animaduertit, ſe Maraſmi, ſeu tabidæ febris Hecticæ diſcrimi na percenſere. Minus vero veritatem continent ea quibus aſſerunt Hecticam febrem reliquas perpetuo comitari, ut ex primis verbis capitis de Hectica loco ſuperius adducto oſtendit Galenus. Mendacio quoque non caret id, quo Hecticam febrem Diarias nunquàm ſequi contendunt, quinimo ita notionem, & vim inter ſe communicant, ut ocu-

latiſsimos etiam Medicos prima die ſæpius decipiant. Tam validam autem vim, minimis illis corpuſculis ineſſe, mirari deſinent omnes ſi Euphorbij, Thapſiæ, aut Piperis minimas, ac viſum effugientes particulas urendi facultate ſciuerint eſſe præditas, quod tamen quo modo (frigidæ ſiquidem actu ſunt) efficere valeant, non paruam apud priores Medicos habuit dubitationem, non enim viderant ipſi plurimas igneas partes in illis contineri, quæ dum ſunt diſperſæ, nihil prorſus agere poſſunt, ſi vero a calore actuentur (quod ſoluta ab eo mixtione fieri ſolet) eiuſdem rationis cum ſint, omnes in unum coeunt, & maiorem quantitatem, & ad agendum acquirunt potentiã, fauente etiam materia, quæ pro ſuſcipienda forma ignis, apprimè eſt diſpoſita, quæ libro tertio de Temperamentis, nec non libro tertio de Simplicium medicamentorum facultatibus docuit Galenus, minus vero tam ingentem putrefactionem illos aſſequi mirabitur quiſpiam, ſi illorum copiam, humoremq́ue, necnon aeris calorem, fuerit percunctatus, ſcilicet non ignarus, corpora humida, ſi in alieno, & calido loco contineantur, putreſcere promptiſsime, quod in Commento duodecimi aphoriſmi, ſecundæ ſectionis annotauit Galenus. Hoſce autem vapores è terra magis, quàm ab aqua in ae-

rem eleuari, dumque sic attolluntur, minime putridos esse, ita conspicuum est, ut nulla prorsus ægeat demonstratione, neq; enim fluminum, fontium, puteorum uè aquæ, in colore, sapore, pondere, aut ea quæ sibi debetur consistentia, sunt immutatæ, minusq; prope urbem stagnantes factæ, aut ob sparti lini, vel alterius rei cuiuspiam macerationem male olentes, nec specus aliquod, quod prius clausum fuerit, mox adapertum est, ex quo putridi, pestilentes uè vapores, ob cuiuspiam venenosi animalis sedem, vel quolibet alio modo, exhalare potuerint, non insignes terræ motus præcessere, quibus in terra hiatus uisi sint, per quos putridæ euaporationi, terra facta sit peruia. At cum tot aeris status humidi precesserint, cum pluuijs interim, terraque humentior sit reddita, fieri non potuit quin immodica vaporum copia repleretur aer (fouent siquidem se inuicem aeris, terræ ue humidæ constitutiones) nam eorum quæ a terra suscipit aer, partem illi dimittit, quod vero in terram demissum est, rursus recipit aer, quoque magis protrahitur hic circulus, eo deterior redditur aer, quo circa nos maxime vereri oportet, ne vitium eius ita augeatur, ut uniuscuiusque ordinis percutiat homines. Si enim calidus, & humidus aeris status pestilentiam præmonstrat futuram (quod

in uniuerſum dixere ſapientes) qui fieri po-
teſt, ne eadem conſtitutio illam, quæ iam fa
cta eſt luem, ſeruet, roboret, & augeat? Ita
ut non modo illos, qui maxime parati ſunt,
homines exerceat, ſed etiam pleroſque ex ijs,
qui eius malitiæ quadantenus reſiſtere valẽt,
corripiat, neque enim eius craſſatio in pri-
ma, aut altera æſtatis parte corrigi potuit qui
nimo in dies eſt aucta: proinde nobis valde
pertimiſcendum eſt, ne in ultimo æſtatis, au-
tumno ue, quæ magis idonea peſtilentiæ ſunt
tempora, ſæuiat dirius, & craſſetur magis.
Proinde omni ingenio enitendum, ac totis
viribus incumbendum eſt, ut eius vitio quo
ad fieri poteſt, occurramus: id autem fiet com
mode, ſi utriq; cauſæ obuiauerimus. Iudicaui
mus ſiquidem, tum aeris vitium, tum corpo
ris diſpoſitionem huius peſtilentiæ cauſas eſ-
ſe, quæ veluti circuitu quodam, & ipſa aerem
vitiat, & ab eius vitio veluti alimentum quod
dam recipit, qui niſi clauo (ut ita dixerim) fi-
gatur, perpetuo hanc urbem agitabit. Affige
re hunc clauum, in manu huius inclitæ Rei-
publicæ, eſt poſitum, non enim pro hoc ſunt
nobis medicamenta ab Indicis littoribus pe-
tenda, non Æſculapius ab inferis reuocan-
dus, qui nos liberet. Habetis intra vos (Sena
tor optime) Antidota, neque aliquis vrbi ve-
ſtræ, quàm vos, melior poteſt eſſe Medicus.

Erit autem primus huius rei ſcopus, vt corpora ad ſuſcipiendam contagem parata in contrarium habitum permutentur. Alter vero, ut ſedulo procuremus, ut qualem decet, aerem habeamus. Pro executione primi pauca mihi erunt recenſenda, nam clariſsimi domini Prouiſores ad ſanitatem deſtinati, multa, eaq́ue opportune, ad hoc moliti ſunt. Cauendum unicè præterea erit, ne in vrbem deferantur, minusq́ue in ea venundentur edũlia, quæ prauos ſuccos procreare poſsint, qualia ſunt olera ferè omnia, quæ præter pauca, perpetuo malos ſuccos generant, præſertim vero hoc anno, quod ex eorum ſapore dignoſci poteſt, nam neque palato ſunt grata, nec proprium ſaporem refferunt, quibus illorum humidior etiam temperies poteſt explorari. Pepones interdicantur, qui cum perpetuo mali ſucci ſint, hoc aeris ſtatu tanta humiditate ſcatent, ut guſtantibus nihil aliud offerant quàm aqueum ſaporem, & omni prorſus coctione carentem, illi vero præſertim, qui in paruis cimbis per totam vrbem circunferuntur, ut pauperibus venundentur, quos ne dum edere, ſed ne deguſtare quidem hominibus fas ſit. Danda inſuper opera, ut arborum mali fructus circuncidantur, quales ſunt illi, qui ex Iſtria, aut Marca Anconitana ad nos deferuntur immaturi, ac ſemipu-

tridi, quiq; plurimorum morborũ in plebe oc casionẽ sæpius præbuerunt. Piſcium plurimæ ſpecies euitandæ, & ut in ſumma dicam omnes illi, qui neque plurimum ſquamoſi ſunt, nec carnes habent albas, maxime vero qui in aquis dulcibus degunt, niſi parui fuerint, & ſaxatiles, Lucij, Carpiones, Temali, aut Lupi (Trottas dicunt). Ranæ & cuncta quæ ex putrida materia generantur animalia, uti ſæui hoſtes, euitanda, & ne nomine quidem ad mittenda. Enitendum ſummopere, ut tota ciuitas ab excrementis cuiuſcunque generis luſtretur, ne vapores fætidi in aerem delati, putredinis ſemina foueant, & augeant. Cauendum inſuper, vt Hoſpitalia in quibus magna ægrorum copia cõtinetur, ab omni prorſus fæditate ſint libera, præſertim vero illa, quæ Lazaretti dicuntur. Quibus vero inſtrumentis id poſsit expleri, ridendus ſim, ſi eos qui tanto tempore illis præfuere, procuratores, docere velim. Optarem tamen in primis ut in illis ſingula die bis ſuffiretur aer ijs, quibus calidi, odoratique vapores in aerem eleuantur, in ijs vero ignes accenderentur, qui bus aer ab ulteriori labe præſeruaretur, ne locus procedente tempore fieret inhabitabilis. Probaretur mihi ſumme præter hæc ſi languentibus in hac ciuitate, præeſſet unus non ex gregarijs Medicis, ſed ex ijs, qui Metho-

do, & experientia (quorum numerum non exiguum noui) plurimum valent, cui munus incumberet propè ędes quoslibet visere ęgrotos, qui si alio Morbo, quàm pestilentia laborauerint, familiares Medicos aduocent, sin minus, statim iubeat illis admoueri præsidia, quæ malo illi debentur, tantæ siquidem est malitiei, ut priusquàm valde conspicuas edat notas, factus sit immedicabilis, eoque fit, ut sæpe priusquàm ægri è domibus asportentur in Hospitalia, misere pereant, nonnulli in ipso itinere diem obeant. Quidam etiam citra Methodum ab Empiricis ita perperam per tractantur, ut & si morbus sit ex ijs, qui sanari solent, vitam tñ immature absoluere cogantur, qui nec quando igne utendum, nec quo loco commode admoueri debeat, nec cuius generis medicamenti in hoc magis quàm in alio uti debeant, norint, sed omnes uno (ut aiunt) calopodio calceant, non enim omnibus eadem competunt auxilia, non eodem tempore. Quinimo cum in reliquis morbis semper agendi occasio sit breuis, in ijs tam præceps est, ut quod modo prodesse potuit auxilium, mox ægro adferat pernitiem. Admotis præsidijs, quæ circa morbi initia debentur, per statutum nuncium, seu aliquem ex presbyteris plebis, nuncietur dominis Prouisoribus, quid euenerit, statimque in Hospi-

tale mittatur, habito prius a Medico in ſcriptis conſilio, de ijs quæ circa ægrum peragi debent, offeraturque Hoſpitalis Medico, qui probis moribus ornatus ſit, charitateque ſumma eum ſuſcipiat, & ad bonam ſpem dehortetur, qui tamen cordatus vir ſit, & doctrina clarus, quique, quando cor alterandum, quando roborandum, & num ſanguis mittendus, vel corpus purgandum ſit, optime norit, ijſque, quæ ſingulis horis noua contingunt ſymptomata, prouidere. Nec fidendum eſt ijs, qui certa ſibi experimenta fore dicunt, quibus ſupra vires Medicinæ pleraq; moliuntur, numeroſæque periclitantium cateruæ aliam adferre neſciunt excuſationem, quàm morbi ſæuitiem, ſatiſque ſibi eſſe putant, ſi vulgi blaſphemias effugerint, nihil aliud præter pecuniam multam æſtimantes. Sic enim futurum ſpero, ut plurima ægrorum pars, quæ miſere interire cogeretur, ab Orci faucibus reuocari poſsit. Et ſi enim morbus iſte ſit ex illis qui curationem ab aliorum acutorum, & peracutorum diſtinctam requirit, habet tamen auxilia propria, tempus illa admouendi oportunum, loca quibus admoueri debent determinata, quantitatemq; ſtatutam, quæ omnia uniuerſi corporis, particulæ præſertim affectę, propria natura, uſus, ſitus, figura, nec non ſentiendi modus indi-

cant. Sit etiam apud eum minister, qui omnia, quæ a Medico iussa fuerint sine mora exequatur. Nec minus religioso ægent viro, & prudenti, cui ommissa, pariter, & commissa præterDei voluntatem fateantur, ipseq; Eucharistiam eis præbeat, illosque ungat, ut si mori eos contingat ob morbi vim, more Christiano vitam finiant, neque ut bruta, citra aliquem delectum, terra obruantur. Sint illis domus propriæ, & tam ab alijs, quam inter se segregentur. Vestes habeant ab aliorum vestibus distinctas, vel saltem aliquod signum, quo facile dignosci posint, in illis perferant, ne incaute quandoque cæteris permisceantur. Quibus expletis, si pestilentia quieuerit Deo optimo, & maximo bonorum cunctorum auctori gratiæ erunt agendæ, sin minus, citra cunctationem aliquam ad aeris correctionem erit pertranseundum, pro quo apud Medicos tam veteres, quàm nouos unum tantum inuenio modum, ignem duntaxat. Nam cum ars Medica tria habeat instrumenta, Pharmaca, ferrum, & ignem, sciens rationalis Medicinæ parens Hippocrates priora in hunc usum minime valere, ad tertium confugit, quo tempore horrenda, & adhuc apud historicos memorata pestilentia Græciam populabatur, plurimisque, & maximis ignibus accensis, breui temporis cur-

riculo ipſam extinxit, atque ideo Græci auream illi ſtatuam erexerunt. Probaretur itaque mihi tanquàm ſummum, & quo nullum melius excogitari poſſet, auxilium, ſi in ſingulis ſextertijs ciuitatis, in locis publicis, quos campos vocant, ignes accenderentur, qui & ſi non tam inſignes, nec tam fragrantes eſſent, ſatis tamen eſſe poſſe putarem (nam neque eo malitiæ, quo ſuus, noſter peruenit aer) ſi die, noctuque per dimidium unius menſis arderent moderate. Pro ſertis vero, & thymiamatis grȩcorum ſingulo veſperi vas unum pice refertum combureretur, neque hoc huic Inclite Reipublicæ oneroſum eſſe arbitrarer. Quod ſi publicis expenſis fieri nollent domini Prouiſores, maximas ſiquidem in dies pecunias expendunt, ut pauperibus ægris, ſanis ue, qui peſtilentia laborantibus commixti fuere, ferant opem: partiales homines non defuturos ſpero; qui hilari fronte id peragant, modo aliquis ordo ſtatuatur, quo ſingulæ ciuitatis partes in ſuo id agant ſextertio, ſcientes hoc in Dei maximi honorem, Illuſtriſsimi Domini ſententiam, in Patriæ uſum, in rerum ſuarum familiarium, & conſanguineorum, ac ſui demum, fieri conſeruationem. Vellem inſuper, ut ſi quæ prope ciuitatem reperirentur valles calamis refſertæ, ipſæ pariter comburerentur. Et de ijs

quæ ad priorem pertinent petitionem, hæc dixiſſe ſufficiat. Nunc modo ad Ficini ſcripta tranſeamus.

Qui capite primo ſui conſilij peſtilentiæ diffinitionem ijs verbis explicare conatus eſt. Peſtilentia eſt vapor quidem venenoſus in aere genitus, proprietate ſpecifica aduerſans ſpiritui vitali, non qualitate elementari, ut caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate. Quæ tamen in eum ſenſum ſunt accipienda, ut pro vapore venenoſo ille ſignificetur, qni non a forma, & tota ſua natura ſit talis, ſed qui facile poteſt fieri venenum, quam primum ab eo putruerint humores in corpore humano, & ebulierint in quodam determinato gradu, quod tertia die ut plurimum, citius interdum, pro ſuccorum corruptorum copia, ſolet euenire. Quo tempore calcis, vel Auripigmenti ſubit naturam, qua tam intus, quàm extra poteſt putrefacere, erodere, & urere.

Quæ non modo abſolute, & ſine aliqua probatione pronunciauit, ſed in eis iſta eſt hallucinatus, ut cuicunque ſententiæ ſua debeatur animaduerſio; & ut ſummatim dicam: quinque in eis reperiuntur, quæ mihi videntur veterum philoſophorum, Medicorum uè placitis aduerſari. Primum, quòd dum peſtilentiæ rationem dare conatur, tam

obſcuris verbis eam inuoluit, ut ex ijs aliud potius quodcunque, quàm quid ipſa ſit intelligi poſsit. Secundum: quòd vaporem venenoſum eius eſſe cauſam præfatus ſit. Tertium: quod illum ſpecifica proprietate citra quamcunque elementarem qualitatem agere arbitretur. Quartum: cum aſſerit vaporem qui eſt cauſa peſtilentiæ a corpore humano fieri venenum. Quintum: cum peſtilentiæ cauſam aſſerit calcis, vel Auripigmenti naturam ſubijſſe, qua putrefacere, erodere, aut urere poſsint.

Quæ ut magis eluceſcant, ea ſigillatim pertractare decreui, & ad primum deueniens, dico, quod licet non ſit mirandum ſi veram non tradiderit peſtilentiæ diffinitionem (neque enim id poterat aſſequi) nam eam per genus, & differentiam propriam conſtitui libro ſecundo Poſteriorum docuit Ariſtoteles quæ cum ſubſtantiæ ſapiat naturam, de accidenti dici minime poteſt, illam tamen per cauſam formalem accidentalem ſaltem deſcribere debuit, quod dum non animaduertit Ficinus, ijs quæ extrinſecus petuntur ſumptis, peſtilentiam deſcribere non dubitauit, at ſi in hoc tantũmodo eſſet lapſus venia forte dignus eſſet.

Sed, ut ad ſecundum deueniam, cum aſſerit vaporem venenoſum eſſe cauſam peſtilen

tiæ, duplici errore inuoluitur uno, quoniam licet vapores, qui corpuſcula calida ſunt, & humida, in homines ingreſsi, cuiuſdam putrefactionis poſsint eſſe cauſæ, meatus obſtruendo, & humores ingratos reddendo, unde eos reſpuat natura, & ita putreſcant, non tamen ob id peſtilentiæ cauſæ dici debent. vel ſeminaria, cum neque ad diſtans ferri, nec alia ſibi ſimilia poſsint procreare. Alterãtur ſiquidem vapores a qualibet vel leui cauſa, ut ex degeneratione illorũ in rorem, pruinam, pluuiam, aut niuem poteſt dignoſci, quod illis euenit quoniam fortem non habent mixtionem, qua poſsint aduerſantibus reluctari, neque enim plurimum continent materiæ in pauca mole, nec propter terræ copiam plus habent frigiditatis, neque partes ita denſas, ut ſubtiliari, & rare fieri facile non poſſint. Seminaria vero peſtilentiæ licet priora duo non æque habeant, ut lapides, & ferrum, & quæcunque conſiſtentia dura eſſe reperiuntur, tertium tamen habent non minus, nam nõ niſi magna ui ſubtiliari poſſunt, quod fieri oportet, ſi caliditas extranea ingredi debet, huius vero cauſam habent (tum materię lentorem, tũ quòd eorum mixtio è valde minimis particulis conſtet, tenacitas ſiquidem operatur, ut pars a parte non facile ſeparetur: mixtio vero ex paruis illis particulis propter

unionem maximè valet aduersus omnia alterantia, vapores autem nec viscidi sunt, a terra enim, & aqua eleuati, illarum quoque refferunt naturam, quapropter quidam eos terram, aut aquam dicere non sunt veriti: minus vero mixtionem habent e paruis particulis conflatam, quoniam adeo in aperto sunt cóstituti, ut a quolibet leui calore acti in alium locum secedant. At pestilentiæ causæ materia agitatur, donec in minimas partes sit diuisa, neque in alium locum ferri potest, quod in penitioribus corporis partibus sit conclusa. Altero cum pestilentiæ causam venenum esse contendit, nam pestilentia morbus est contagiosus, causam habens, quæ in altero idem vitium procreare potest, cum eo quod primus passus est, id quod venenum facere non potest (venenati siquidem, ad alios homines contagiosi non sunt) neque putrefacere, quod pestilentiæ causæ est proprium. Nam quodlibet venenum, aut spiritali enecat qualitate, aut materiali. Qualitates enim spiritales, & si nihil posint generare, id enim primarum qualitatum proprium est munus, ex accidenti tamen spiritus fugando homines perimere solent, veluti serpentum quidam, Basiliscus maxime, qui solo intuitu homines perimere fertur. Quæ vero qualitate materiali agunt venena, aut frigida sunt, aut calida.

Frigida nullo modo poſſunt putrefacere, nam ſtupefacientia ſunt. Minus vero calida, nam ſicca ſunt omnia, atque ideo urere quidem, putrefacere vero minime valẽt. Quod ſi quorundam Medicorum auctoritate fretus dixerit calidorum venenorum quædam urentia, quædam vero putrefacientia dici, ſciat eos nominum tantũmodo habere rationem, iuxta quæ venena aliqua calida putrefacere contendunt, quod inde factum eſt, quoniam a corporis contactu protinus, veluti reliqua, cruſtã non inducunt, ſed quandam prius bullam excitant, ac ſi calor natiuus partis, veluti in ijs quæ putreſcunt, euolet, proprie tamen, ac re ipſa urentia, non minus quàm reliqua, dicuntur, & ſunt. Quod igitur ex illis euaporat contagionis, aut putrefactionis, minus vero peſtilentiæ, poteſt eſſe cauſa. Melior itaque fuerit peſtilentiæ deſcriptio, quæ traditur a Galeno, libro primo Epidemiarum, Commentario primo, cum inquit. Morbus peſtilens eſt morbus vulgaris, ut plurimum perimens, nam idem ea ſignificat cum illo quod deſcriptũ eſt, & genus complectitur quod eſt veluti materia, & differentia qua a reliquis morbis diſtinguitur, quod etiam libro primo de ratione victus in acutis ijs verbis indicauit Hippocrates. Cum nullum genus peſtilentis morbi vulgetur, ſed diſperſi diſ-

ſimileſque interſe ſint morbi, ij quàm reliqui uniuerſi maiorem multitudinem perimere ſolent. Ex quibus verbis, ut inquit Galenus, patet, de vulgarium morborum genere eſſe eos, qui peſsimi ſunt, & peſtilentes appellantur.

His expletis ad tertium accedamus in quo Ficinus, more quàmplurimorum ſe a pluri-mis, & arduis quæſtionibus extricantium, ad occultam, & ſpecificam confugit proprietatem, quo nomine quid ſibi velint, non facile poſſunt oſtendere, nam quælibet actio aut à ſuſtantia fit, aut a qualitate, nullum, ſiquidem eſt inter decem omnium rerum prima genera, præter illa duo, quod agere poſsit, ſi à ſubſtantia dicat hanc actionem fieri qua peſtilentiæ producuntur, rectius id a forma quàm à proprietate dicere potuit. Seddemus eam vocare ut lubet, non proprietas, ſi forma ſit, peſtilentias efficere poterit, nihil enim præter motum localem illa poteſt producere, qualis non eſt illæ, qui in peſtilentiam cauſis agentibus requiritur, quæ quorundam generatio, & corruptio ſunt magis. Si vero a qualitate id agi velit, aut a materiali, aut ſpiritali. Si a materiali aliquod nouum qualitatum materialium genus eum fingere oportet, præter caliditatem, frigiditatem, & ſiccitatem, quæ proprietas occulta vocetur,

huius

huius vero monſtruoſæ qualitatis nomen, ab aliquo unquam Philoſopho, aut Medico eſt auditum. Si vero per cæcam proprietatem, aliquam ex primis intellexerit qualitatibus, pręter id quod pro claris, & proprijs nominibus, obſcuris, & quibus nemo uſus eſt unquam, id enuntiauerit, neque hac ratione ſe tueri poterit, qui omnes qualitates elementares in ſuo ſermone, ab hac exploderit ratione. Si vero a qualitate ſpiritali illam gigni contenderit, neque hoc dixiſſe congrue poterit, nam ſeminaria peſtilentiæ, tale in ſecundo, tertio, & quarto procreare poſſunt, quale in primo fuit initium, in omnibus ſiquidem idem oportet eſſe principium, ſi peſtilentia contages vere dici debet, nulla uera qualitatum ſpiritualium id efficere poteſt, nam quamlibet generationem a primis qualitatibus fieri nemo eſt qui ambigat, & pręter id, peſtilentiæ ſeminaria non modo diu perdurare conſueuerunt, ſed in fomite, & aere ſeruari nonnunquàm etiam trans maria ferri. Spiritales vero qualitates, tam diu perdurare ſolent, quàm diu pręſens fuerit materiale illud à quo effluxerunt. Proinde rectius cum Ariſtotile, & Galeno fatendum eſt, peſtilentię cauſas per notas qualitates agere. An vero ſeminaria iſta corpuſcula ſint viſum effugientia, ut placuit Democrito, & plerisque alijs,

vel magis ſpecies ſint ſpiritales, ut alijs, quę tota ſubſtantia, & ſui ſimilitudine id agant, ut ſępius dictum eſt a Galeno: non eſt pręſentis diſputationis.

Pro quarti autem explanatione, non erit plurimum immorandum, nam ut vapores a corpore humano in erodens, aut urens venenum vertantur fieri omnino nequit. Et ſi enim quędam in corpore animalis aliquam mutationem conſequta, deinceps putrefieri, & corrumpi, moxq́ue corpus una putrefacere, & corrumpere; libro tertio de Temperamentis aſſerat Galenus, qualia ſunt peſtilentię ſeminaria ſeu cauſę, non tamen id de Vrentibus, vel erodentibus venenis affirmaret, quę toto genere priuſquàm corpus humanum ingrediantur eſſe deleteria, libro de ſimplicium medicamentorom facultatibus faſſus eſt. Quare libri tertij de Morbis vulgaribus Commentario tertio, languente quarto, volens oſtendere ſummum vitium, quod humor in corpore humano poteſt aſſequi, inquit, in hac phrenitide vitioſus in corpore humor coaceruatus fuit veneno lętali prope adſimilis, quod tamen de veneno minime pronuntiauit unquam. Conueniunt autem cum venenis eiuſmodi humores, quoniam ſicut illa, inimicitia quadam homines perdunt, ita humores iſti cum ſic uſti fuerint, ut a natu

ra euinci, nec domari queant amplius, aduersi sunt hominibus, ita ut inimicitia quadam a tota substantia ipsos perimant, quod humoribus etiam putrefactis euenire solet, propter quod venenosas quasdam febres solemus appellare, differunt tamen inter se non parum, quòd venena nec putrefacere possunt, nec tale in secundo gignere, quale in primo fuit, quod supra abunde demonstrauimus, si vero id dictum esse velit, ut ostenderet venenum nequaquàm corpus humanum immutare posse, nisi prius ab illo agendi vim nactum fuerit, ad non necessaria recurrit, & inconueniens asignat, nam & si venenum, quod in corpus humanum agere debet, prius à calore innato ad actum reduci oporteat, non tamen illud a corpore humano procreari necesse est, sed ab eo id tantum mutuatur, quo tale potentia cum sit, in actum deducatur, satis igitur fuisset pro hoc dixisse, venenum à corpore humano de potentia in actum necessario reduci, si quippiam aduersus illud moliri debeat. Inconueniens vero fuerit arbitrari vaporem illum trium, quattuor ue dierum spatio, a corpore humano fieri venenum, statim enim postquàm a calore genuino particulę eius seiunctę sunt, quę eandem habent naturam simul coeunt, & ex tali unione vim acquirunt agendi, quàm distin-

ctę prius non habebant, nisi forte frigida sint & tam exiguę molis, ut à calore innato euicta in alimentum vertantur, aut calida tam paucę quantitatis, ut cum excrementis extra corpus pellantur, vel a rationali uictu, aut a medico corrigantur.

Minus vero Quintum longa indiget declaratione, nam & falsum continet, & quędam inter se pugnantia reffert, non enim vere dici potest pestilentię causam Auripigmenti, aut calcis naturam subijsse, illa siquidem strenue putrefacit, Auripigmentum urere, calcem vero vehementer urere, & crustam efficere libro nono de Simplicium medicamentorum facultatibus docet Galenus. Vrere autem, erodere, & putrefacere ita inuicem pugnant, ut uni subiecto minime inherere posint:, putrefacientia siquidem calida, & humida sint oportet, quemadmodum libro quarto Metheororum dicit Aristoteles, & libro quinto de Simplicium medicamentorum facultatibus placuit Galeno. Vrentia vero calida, & sicca. Quod si putrefacere pro eo quod corrumpere potest, accipi velit, audiat Galenum capite decimo quarto, libri quinti de Simplicium medicamentorum facultatibus dicentem : plurima corrumpere posse, quę putrefacere minime valent. Quibus verbis aperte probat plurimum inter-

utrunque intereſſe.

Cum vero capite ſecundo aſſerit, peſtilentię cauſam procreari in aere a malignis coniunctionibus ſiderum, & maxime uniuerſalibus, pręſertim vero Martis cum Saturno in humanis ſignis, magiſq; obeſſe hominibus, & locis habentibus infœlicē aſcenſum per eos. Nimium tribuit cœlo, nam id quod ex accidenti in huiuſcemodi coniunctionibus euenit, id per ſe contigiſſe putat, nihil enim a cœlo huc demitti poteſt, quod ſpiritale non ſit, ſeu lumen, ſeu tale quippiam fuerit, quod nos proxime tangat, ſi autem verum eſt, id quod ſupra oſtendimus. Nullam ſpiritalium qualitatum aliquid generare poſſe, ſed iuxta Philoſophorum, & Medicorum decreta primarum, & agentium qualitatum id propriū eſſe munus, fatendum erit omnino ab Aſtris, ad nos aliquid tranſmitti non poſſe, quod peſtilentię cauſa eſſe queat. Cœlum nanque, motu, & lumine tantum agere in hęc inferiora libris de cœlo, & mundo nos docuit Ariſtoteles. Hippocrates autem, & Galenus, vitij in aere exiſtentis vapores plurimos quomodolibet in ipſum eleuatos, ac ab immodico calore actos, cauſam eſſe arbitrati ſunt, Cœlo, aut eius aſtris pro hoc nihil dantes. Quod ſi obijceret quiſpiam, portenta, monſtra, putrefactiones & peſtilentias Aſtrono-

mos, nec frustra prędicere. Id in Astrorum naturam minime erit referendum, quod magis consequtione quadam euenit, illa siquidem a natura fieri dicuntur, quę prima ratione ab ea fiunt, hęc vero sunt, quę quasi fines ab ea coniectantur, causam vero pestilentię uti finem, siderum naturam sibi proponere dicere, non fuerit rationabile, possunt siquidem magni siderum conuentus, magnũ ęstum inducere, quo plurimi vapores in aerem eleuentur, qui in loco calido detenti, sibique alieno, & a calore insigni eius acti putrescant, & fiant pestilentię causę, seu seminaria, quę mox in homines irruentia illos perimant, at qui statim, & primo prouenit effectus, id per se fuerit, qui secundario, & procedente tempore ex accidenti esse poterit, ut libri primi de Simplicium medicamentorum facultatibus capite tertio, dicit Galenus, melius itaque cum Hippocrate, & Galeno dicendum erit, pestilentiam a seminarijs quæ in aere continentur oriri, siue illa fuerint a rebus infectis in illum delata, siue ex vaporibus in eo existentibus ab immodico calore sint genita.

Minime etiam veluti capite septimo ipse asserit, nobis dicendum est venenum sui natura irruere in cor nam si voluntas, & motus a proposito illi inessent, vera posset esse hęc

poſitio. Cum vero ijs careat, tutius cum Galeno fatendum eſt, venena aeri commixta in cor trahi, ſiue id inſpiratione per nares, & thoracem, ſiue attractione per parua arteriarum foramina contingat. Hęc ſunt quę in Ficini placitis de cauſa peſtilentię mihi viſa ſunt habere dubitationem: reliquas eius orationes pręteremittendas in pręſentia mihi eſſe ſtatui, tum quòd videam (ſi ſingula perquirere voluero) quæſitorum copia libelli molem nimiam euaſuram, tum quod, ut ipſe quoque concedit, aliorum magis ſint decreta.

Reliquum erit, ut tertię ſatisfaciam petitioni, tibique dem modum, quo diram hanc luem pręcauere poſsis: eoque maxime quod a plurimorum hominum conuentu minime cauere potes, quorum quidam etiam infecti eſſe poſſent, idque ob plurima negotia quibus addictus es, tanta enim eſt tua in Patriam pietas, ut laboribus, ac morbo interdum feſſus, ad obeunda munera pro temporum occaſione te conferas. Agam vero id breuiter quòd plurimi plurima ſcribant, & quòd ſi, cuncta recenſere voluero quæ a veteribus, & nouis Medicis ſunt tradita, nõ facile quid potius ſit remedium poteris dijudicare. Pręſeruatio igitur a peſtę ſub duobus ſcopis cõtinetur. Quorum alterum ad repugnandum, corpus aptat: alterũ agens reddit ad imprimen-

dum debile, quos Galenus, libro primo de Differentijs febrium quattuor intentionibus explere docuit, corporis vacuatione; humorum exiccatione; meatuum occlusorum reseratione; & aeris correctione. Quarum prima non indiges, nam ob probam victus rationem, qua uteris perpetuo, & ob plurimam humorum vacuationem factam in diutino morbo, quem superioribus mensibus passus es, corpus tum ab excrementis vacuũ, purumq́ue redditum est, quæ succorum copia in te fuit collecta ob longa itinera, & immodicos animi, & corporis motus, quos subire cogebaris, dum apud Serenissimum Imperatorem legatus esses, quo tempore die, noctuq́ue sub largis imbribus, & algentissimo aere, modo in castra tendere, modo alia loca te petere oportebat, in quibus, neque idonei cibi, neque conueniens erat dormitioni locus. Si vero ad aliorum manus commentariolum hoc peruenerit, qui aliquid boni ex eo se consequturos sperent, sciant ij prę omnibus eligendam esse corporis inanitionem (si illa eguerint) quę sanguinis missione, aut purgatorio pharmaco pro utriusque indigentia, & periti Medici consilio) erit moderanda. Sub hac intentione Alui lentionem, succorum, & corporis præparationem complecti velim, quando sine ijs neque purgatio commode ad

hiberi poſsit. De qua in uniuerſum dixerim, eam duntaxat talem eſſe debere, qua neque vires demoliantur, neque corpus plurimum incaleſcat, ſit tamen ex ijs quæ exuperantem ſuccum pro ratione detrahat. Reliquę vero omnes ſimul explendę ſunt, cum ijſdem etiã auxilijs, perfici ſoleant.

Euitent in primis illi, qui talibus aſſueti ſunt, commeſſationes, & cuiuſcunque generis, tam ciborum, quàm potuum repletiones, ſed magis ſobrij ſint, paucis contenti, non admittant menſas ſecundas, ſed bellaria omnia interdicantur, quibus ad luxum tantũmodo utebantur, nam valde ſatius fuerit, eos cum quibuſdam reliquijs famis à menſa ſurgere, quam ventriculo à cibis tenſo, aut ob immodicum potum fluctuante, recedere. Tu vero, qui ſobrie edere, ac bibere conſueuiſti, morem tuum ſeruato, nam hęc viuendi ratio (ſi quid aliud)homines a cunctis morbis, à peſtilentia maxime, ſeruat incolumes, ac ſi in alijs ſobrietas plurimum valet, in prę cauenda peſtilentia non modo eſt utilis, ſed ſumme neceſſaria, ita ut ea omiſſa reliqua omniain caſſum miniſtrentur:vterc autem cibis qui probe conquoqui poſsint,& citum in corpus habeant tranſitum, & qui pauca excrementa gignere conſueuerint, quales ſunt pulli gallinacei iuuenes, & temporibus frigi-

dis capi, palumbi iuuenes in turribus degentes, nam qui in ędibus nutriuntur, nimio ſcatent, ob pinguedinem, humore, Perdices, Faſiani, Francholini, Turdi, Merulę, & reliquæ omnes aues in nemoribus, & dumetis victum queritantes, quæ iuuenes omnino ſint. Vituli lactantes, Hędi, Lepores iuuenes aſsi magis, quàm elixi, & aceto roſaceo inſperſi, Omphacium vero, & aureorum malorum, citriorum, & punicorum ſucci, & ſi alijs prodeſſe poſsint, tibi tamen cui frigidior eſt ventriculus, eſſent noxij. Piſcium rarus ſit uſus, quod ſi propter religionem diebus illis delectis, in quibus carnes, & oua interdicuntur, ijs uti velis, ſint ex illis qui ſquamas plurimas, & carnes habent albas, inter quos ſumme pręſtant Auratæ. Barbones, Scarpenę, Menę menulas noſtrates dicunt, Smaridę Zirulas vocant Veneti, vel ex aquis dulcibus delati parui piſciculi, qui in petroſis fluuijs capiuntur Lucij, Carpiones, Temali, qui omnes ſuper craticula magis ſint aſsi, quàm in olla elixi, aut in Sartagine frixi, ſi vero elixis uti libuerit, in iure albo ſaltem ſint decocti, quod aqua, oleo, anheto, ſale conſtat, & porro, pro quo noſtrates cępas admiſcent. Liceat quoque ſalitis piſcibus interdum uti, quales ſunt ſardę (vulgus Sardellas appellat) vel qui e Tyrrheno mari parui deferuntur, quos

Anchiouas nominant, extenuant ſiquidem pituitam ventriculo inherentem, ut libro tertio de facultatibus alimentorum, capite de piſcibus ſalitis dicit Galenus, circuncidãtur carnes ſalitę animalium terreſtrium, quęcunque durę ſunt, & neruoſę, nam egre concoquntur pręſertim ſi non modo a ſale tales euaſerint, ſed etiam ſua natura id obtineant, quales ſunt carnes Bubulę ſalitę, quæ cum propria temperię ſint ſiccæ, a ſale totus earum abſumitur humor, iuuenum, pinguium uè ſuum carnes ſalſuræ appoſitæ ſunt, redduntur ſiquidem medię inter ſiccitatem annoſorum, & nouellorum porcellorum humiditatem, quo circa ab utriuſque ætatis incommodis ſunt liberę. Si igitur ſuillę coxę ſalitę (perſuttum dicunt) pauxillum ante alias æpulas delibare placuerit, id citra noxam facere poteris, quod & de vocatis Farciminibus dictum eſſe velim, pręſertim vero ſi in acri aceto fuerint intincta. Oua recentia tremula conueniunt, & pariter in iure confracta, cui portiuncula aceti roſacei ſit addita, Fercula ſint ex Oriza, Farre, Beta interdum, Petroſelino vocato, & Meliſſa, Pimpinella, Calendula vocata, Betonica, & Anheto, in earundem carnium iure parata, quibus quippiam acceti, aut mali medicę ſucci, vel Citrij, aut Limonis, aut Omphacij additum ſit: eorum vero minor ſit quantitas ea

quã ſummere ſolebas. Ex fructibus humidis pauci reperiuntur quorũ uſus non ſit noxius, quod ſi aliquis ob conſuetudinem ab eis abſtineri nequeat, liceat illi quippiam ex malis punicis, pręſertim medijs, aut perſicis cotoneis vocatis, piribus carnes denſas habentibus, aut cotoneis malis coctis, deguſtare. Tibi vero qui eis raro uti ſoles, facile fuerit omnes ommittere, pro quibus, Piſtaceis, Pineis, atq̀ue vuis paſsis uti poteris.

Pro acetarijs, utere Capparibus, qui a ſale expertes redditi ſint omnino, Acetoſa, acetoſella maxime, quam vulgus Alleluia dicit, Meliſſa, quandoq̀ue portulaca ſaltem alijs permixta, Cicorio & radicibus eius, radicibus Petroſelini tempore non admodum calido, Lactuca & ſi non generet ſanguinem vitioſum, quod reliquis oleribus proprium eſt: humidum tamen ſuccum procreat, neque omni ex parte laudabilem, & proinde eius uſus non ſatis tutus fuerit. In uniuerſum ſiquidem exiccantibus uti conuenit. Bugoloſſum quoque & ſi a plurimis laudetur, qui cordi eum plurimum fauere autumant, ac vino iniectum lętitię cauſam eſſe credunt, & hilaritatis, pro peſtilentia pręcauenda, mihi non ſatis idoneum videtur, calidæ nanq̀ue, & humide naturæ cum ſit, utraque qualitate putredini fauet. Sed hæc forte plura deſidera-

rent, quæ in liberius ocium ſunt referenda, nam cęteris ommiſsis, ea tantum, quæ ad propoſitã rem faciunt, cõmemorare decreui.

Aromatum calidorum nullus ſit uſus, tibi præſertim, qui ob Iecoris calorem immodicum illa ommittere conſueueris, ſi quis vero eis plurimum delectetur, ſint ex ijs commixta, quę modice poſsint calefacere, veluti ſi gariophillorum, & Nucis miriſticę, quam moſcatam vocant, parti uni, Santalorum, & Roſarum rubearum media pars adderetur, quibus exigua valde unius partis portio caphurę iuncta eſſet. Poſſunt ex Petroſelino, Saluia, Serpillo, & Saturegia contritis optime, & cum aceto, aut Omphacio liquatis intinctus, quos ſapores vocant, Parari, ex amigdalis quoque dulcibus contritis, addito aceto, vel Omphacio, aqua roſacea, & pauco ſaccharo pariter poterunt parari.

Lactis omne genus uitandum eſt. Optimum vero fuerit a cibo bolum unum Diacitonis, vel Cotonei mali conditi, aut ſemina quędam Coriandri prius in aceto macerata, mox Saccharo obruta deglutire, quæ ſtomaco clauſo vapores in caput ferri non permittũt. Caſeus cuiuſcunque ordinis deuitandus, nam craſsi, & praui ſucci eſt ſiticuloſus, nullius uſus, neque ad coctionem, neque ad digeſtionem in corpus, nec ad urinam mouen-

dam, nec ad aluum ſoluendam, pręſertim vetus, & ſi etiam medius eadem noxa non careat, ut dicit Galenus libro tertio de Facultatibus alimentorum capite proprio, neque audiendi ſunt, qui dicunt aliquid illius a cibo ſummi poſſe, ut ventriculi oſculum claudatur, nam pręter alia incommoda ſitim infert, ob quam, qui illum comederunt, ſtatim potum expetunt, quod valde noxium eſt, dum enim vapores reprimere conantur, hos promptius in caput eleuant, nam potus a caſeo ſumptus, in ventriculum tarde permeat, dum vero plus morę, quàm par ſit circa os eius trahit, plurima crudorum ſpirituum copia cerebrum petit, qui multorum malorum ſunt cauſę. Quare mihi ſatius videtur prædictis occludentibus ſtomacum, quæ noxam aliquã parere non poſſunt, quàm caſeo, uti.

Quod ad potum attinet, eligendum eſt vinum clarum, album, odoratum, pauciferũ quod ad auſterum vergat, quem ſaporem mordentem, ſeu picantem dicunt, eius ſiquidem ſubſtantia moderate aſtringit, qua ventriculum roborare poteſt. Acerbũ vero aſtringit, quidem ſtrenue, ſed quod etiam valde reffrigeret non ita laudatur, in quo ſi quædam folia Betonicæ prius duabus horis maduerint, magis laudandum foret, idque Abſinthiti vino (quod utique laudo) præferen-

dum esset, quod aqua temperandum plus, minus uè erit, iuxta eius potentiam, & anni tempus. Summe autem probarem si vasa seu canthari, in quibus vinum conseruatur, essent ex Iuniperi, Lentisci, aut Fraxini ligno facti, & calix quo bibitur, ex Argento deaurato, vel magis ex Auro non admodum puro, sed cui a natura sexta pars argēti esset cōnata. Aluus quotidie sponte, vel arte deiciat, immisso videlicet ex dulci oleo, & mulsa clysteri, aut scrupulo uno, ex pillulis infrascriptis, hora una ante cœnam deuorato.

Satis fuerit moderate exerceri, nam immodicus corporis labor nimis calefacit, corpus reddit imbecille, & inspirandi auget necessitatem. Interdum etiam pro exercitio frictionibus contentus sis, quibus in exilibus meatibus, quæ continentur, efferuntur recrementa, & pori magis peruij fiunt, nec audiendi sunt illi, qui hoc vitio vertunt in pestilentia præcauenda, si ab aere vitiato ortum habet, nam præter hoc quod ea fuit Galeni mēs primo libro de Differentijs febrium, earum etiam usus ratione ostendi potest; nam Meatuum reseratio, homines ab assidua inspiratione excusat, nec ob illam maior patet ægri in corpus aditus (quod illi arbitrantur) nam totum corpus vestibus operitur, quibus aeris in illud penetratio cohercetur) recrementis

vero exitus non impeditur, Balneum aquæ dulcis calidæ non laudo, carnem nanque nimis laxam reddit, & ad patiendum ab extrinſecis cauſis obnoxiam, neque eos laudo, qui cautele gratia, aceto uniuerſum corpus perfundunt, nam cutis meatus occluduntur, ſed magis conſulo, ut oleo odorato, quod de ſpica dicitur, aut etiam ex chammeli floribus parato cuncta membra optime perfricentur.

Somnus ſit nocturnus: interdiu vigilandum eſt, quod ſi ab hac conſetudine diſcedere ob aliquam occaſionem cogaris, melior erit a prima uſque ad quartam hora, quam a quarta uſque ad veſperam reliquæ. Euita rerum abditarum ſtudia, ſed magis iocoſa lege, & quæ mentem non plurimum defatigent. Lætis verbis cum amicis utere, & a ſerijs ſermonibus abſtine. Eſto hilaris, bene ſperans, nec peſtilentiæ metu tremens, ſed domini noſtri miſericordia fretus, firmo animo cuncta aduerſa contemne. Quo vero ad medicamenta quæ apud plurimos numeroſa ſunt, quæque opere prætium non eſt hoc loco referre, vellem ego, ut ijs tantum, quæ inferius deſcribentur contentus eſſes, inter quæ primũ locum habet medicamentum Ruffi, non minus docti, quàm antiquiſsimi Medici, & a quo plurima Galenus mutuatus eſt, mos nũc obtinuit, ut in catapotia redigatur, & pillu-

las pestilentiales, seu catapotia Ruffi nominant seplasiarij: differt tamen hæc compositio ab ea quam olim Ruffus memoriæ prodidit, atque alia est, nam Ruffi miscella crocum non habet, minusque catapotium est, sed pro croco Ammoniacum recipit, & in potionem redigitur, ut ex capite trigesimoquinto libri secundi Pauli Æginetæ liquet. Quarum drachmã unam singula hebdomada summo mane, probe iam concocta cœna degluties, nec priusquàm opus suum perfecerint, quicquam comedes, quod quinque, sex uè (quod summum est) horarum spatio absolui solet. Interdum hora una ante leuem cænam scrupulum unum earundem sumpsisse proderit, præsertim si aluus fuerit adstricta. Nescio.n. inquit Ruffus, an quispiam hac potione usus pestem non euaserit, Ammoniacum vero potu sumptum aduersus pestilentiales putredines excellentissimum esse remedium tradidit Galenus. Diebus vero quibus mane pillulas non accipies semunciam infrascripti Sacchari rosacei deuorabis, vel placentulam unam ex infra notandis manducabis: aut drachmã unam pulueris quo illa parantur cum pauxillo vino albo aqua rosacea diluto hauries. Theriacæ vero, aut Mithridatici Antidoti usum ijs diebus æstiuis non probo, in te pręsertim cui calidissimum est Iecur: in alijs vero, quàm

primum desierit aeris feruor, cæteris auxilijs ego semper Theriacam præferrē, modo esset probè parata, quod propter plurimorum simplicium carentiam vix fieri posse reor. Quantitas vero illius, vel Mithridatici Antidoti sit drachma una, cui etiam par pondus Sacchari rosacei, & Boraginati sit additum, qualibet tñ die illis non uteris, sed semel, bis uè illa deglutisse sat fuerit, atque ita tibi agendum erit, ut singula die unum ex describendis præsidium accipias. Prestiterit quoque pro Theriaca quę nostro tempore bona reperiri non potest Antidoti, seu pulueris ex sanguinibus drachmã unam summere, ita ut primo die catapotiorũ ex medicamento Ruffi drachmam unam sumas. Secundo die scrupulos quattuor Antidoti ex sanguinibus cum uncia una vini albi, cui semuncia aquę rosaceæ sit addita haurias. Tertio die, drachmam unam pulueris ex tormentilla eodem modo bibas. Quarto die, comedantur duæ nuces, & totidem caricæ cum folijs Rutæ viginti, & pauxillo sale. Quinto die Angelicæ bolum optime masticatũ deglu ties. Sexto die, pulueris Pimpinellę drachmã unã in eodẽ vino potabis. Septimo die semũciã Sacchari rosacei nostri degluties: quod si malũ perseuerauerit ad catapotia redeundũ erit, hac tñ lege, ut transacto primo circulo non nisi alternis diebus auxilia summantur.

HABENT AVTEM EX MEDICAmento Ruffi catapotia.

PAVLO ÆGINETA AVCTORE.

Aloes optimæ.
Ammoniaci thymiamatis. } Añ. par. duas.

Mirrhæ traglodíticæ partem unam cum vino cretico, vel alio odorato reducãtur in massam

Antidotus uero ex sanguinibus habet.

Sanguinis sicci Anatis maris.
Anatis fœminæ.
Anseris.
Hædi.
Rutæ siluestris.
Seminis feniculi.
Cimini.
Anheti.
Napi siluestris (vel loco eius
Rapi, vel rapæ domesticæ). } Añ. ʒ iij.

Radicis gentianæ.
Trifolij.
Schenoanteos squinantũ vocant.
Thuris.
Rosarum siccarum. } Añ. ʒ. iiij.

Piperis albi.
Piperis longi.
Phu.
Anisi.
Cinamomi. } Añ. ʒ ij.

Mirrhæ. Nardi.	Añ.	ʒ vj.
Benzoi. Aſſari. Ammoniaci.	Añ.	ʒ iij.
Mari, Maioranã gentilem dicunt. Agarici.	Añ.	ʒ ij.
Ireos. Croci. Reipontici. Gingiberis. Maſticis.	Añ.	ʒ j.
Stecadis.		ʒ v.
Seminis Citri.		℥ s.

Fiat tenuis puluis ex ipſis, qui cum quadruplo mellis bene cocti, & diſpumati cõmiſceatur, & vaſe argenti puriſsimi conſeruetur.

Puluis ex Tormentilla recipit.

Radicis Tormentillę. Seminis Citri. Cardi benedicti. Fiat puluis ex ipſis.	Añ. partes ęquales.

Puluis pro Sacchāro roſaceo, & rotulis habet.

Boli Armeni orientalis.
Terrę ſigillatę.
Cartilaginis, quę in corde Cerui reperitur, os de corde Cerui dicunt.
Tormentillę.
Zedoarię

Squinanti. Angelicę. Pimpinellę. Foliorum Diptami Cretensis. Seminis Acetosę. Seminis Citri. Ramentorum Eboris. Santalorum Citrinorum. Cornu Cerui.	Añ. ℥ j.
Coraliorum rubeorum. Margaritarum non perforatarũ Hyacinthi. Smaragdi. Sapphiri. Caphuræ. Vnicornu.	Añ. ℥ s.

Quæ conteri possunt in tenuem pollinem redigantur. Reliqua succo Citri permixta super cote Medicinali molantur, donec quo ad fieri potest in succum vertantur, mox simul misceantur, & cuilibet unciæ eius, Sacchari rosacei unciæ quinque addantur, & cum syrupo de aciditate Citri omnia cõmisceantur donec optimam consistentiam fuerint assequta. Poterunt etiam huius pulueris semunciæ nouem unciæ Sacchari optimi addi, quod aqua rosacea prius fuerit liquatum, ex quibus fingantur placentulæ semunciam ponderantes. Habes hucusque ea quæ corpori robur adde-

re poſſunt, ut peſtilentiæ ſeminarijs reluctari valeat. Nunc agendum eſt de ijs, quæ vires inimici, hoc eſt aeris peſtiferi refrangere poſſunt. Horum quædam propinqua, & corpus tangentia ſunt, quædam remota. Prioris ordinis ſunt veſtes, Sudarioli, Lintea, Stragula, quæ omnia debent eſſe munda, nitida, odorata, & ex infranotatis thymiamatis ſuffita, ac præter id interulæ, & omnia ex Linteis pannis confecta inſpergantur aqua roſacea, cui portiuncula aceti roſacei addita ſit. Veſtes vero ſint ex ſerico magis, quam ex panno contextę. Ad idem ſpectant ſacculi cordi, & ventriculo admouendi, & pilę manu portandæ aſsiduęque de manu, ad manum volutandę, ac odorandę. Ad remota ſpectat habitatio, a qua niſi duabus horis ab ortu ſolis eſt exeundum, nec nubiloſis, ventoſis, aut pluuioſis diebus, niſi urgente neceſsitate. Cubilis ianuę, & feneſtrę quàm primum ſurexeris è lecto, ad ſeptentrionem, & oriens aperiantur, ad meridiem, & occidens claudantur. Vnice etiam cauendum, ut ſi quę domus infecta, ſit vicina, nequaquàm eam verſus aperiantur, ſed perpetuo clauſę ſint, ſit inſuper munda, & a cloacis, & male olentibus locis remota, quę igne lignorum odoratorum, ut Iuniperi ſi præſto ſint, ſin minus ex alijs ſaltem ſiccis, è quibus nitens flamma fiat etiam ſi ęſtas fue-

rit, debet calefieri, solumque aqua, & aceto, vel alijs odoratis inspersionibus, ex herbis, & fructibus boni odoris inspersum sit. Vt vero ea quæ diximus consequi facile posis, formulas puluerum pro suffiti bus, & Sacculis, & pilę odorandę subijciam.

Puluis pro suffitu, accipit.

Thuris.
Myrrhę.
Ligni aloes.
Santalorum Citrinorum.
Rosarum rubearum.
Tormentillæ.
Zedoariæ.
Foliorum Diptami Cretensis
Baccarum Iuniperi.
Corticum Citri.
Corticum Cotoneorum.
} Añ. partes ęquales.

Quę conteri possunt terantur. Reliqua incidantur, ex quibus commixtis portiuncula super carbonibus accensis inspergatur.

Puluis pro sacculo cordis habet.

Florum Nenupharis.
Rosarum rubearum.
Squinanti.
} Añ. ℥ iiij.

Santalorum Citrinorum.
Coraliorum rubeorum.
} Añ. ʒ iij.

Cartilaginis cordis Cerui.
Seminis Citri.
} Añ. ʒ j.

Margaritarum non perforatarũ
Hyacinthi.
Sapphiri. } Añ. ℈ j.
Been albi.
Been rubei. } Añ. ʒ j. s.
Croci.
Caphurę. } Añ. ℈ j.
Moschi.
Ambaris. } Añ. gra. vj.

Pulverizentur tenuiter omnia, ex quibus Sacculus purpurei coloris, cremesinum dicunt repleatur, & cordi admoueatur.

Puluis pro Sacculo uentriculi, recipit.

Absinthij.
Rosarum rubearum.
Mentæ. } Añ. ℥ s.
Coraliorum rubeorum.
Ligni Aloes.
Masticis. } Añ. ʒ ij.

Fiat ex illis puluis tenuissimus, quo sacculus ex panno serico cocco intincto, repleatur, & ventriculo admoueatur.

Pila odoranda, recipit.

Masticis. Zedoarię.
Rosarum rubearum.
Santalorum Citrinorum.
Maceris.
Gariophyllorum.
Tormentillæ. } Añ. ʒ j s.

Moſchi.
Ambaris. } Añ. gra. v.
Stiracis.
Benzoin. } Añ. ʒ ij.
Ladani.

Conficiatur ex ijs pila, cum aqua roſata.

Ego pilam parari iubeo ex cupreſſo, aut ali quo ex lignis quibus cantharos fieri ſuperius docui, interius concauam, quæ aperiri & clau di poſsit, ſitque tota foraminulenta, intra quàm ſpongię nouę fruſtum immitto, hac mi xtura prius infuſum, ℞ aquę roſacee. Vini cre tici ſingulorum partem unam. Aceti partem mediam, & ſupradicto puluere aſpergo. Hęc vero pila manu geritur, & crebro naribus ad mouetur, quod ſi maius quippiam timetur, manu colliditur, & liquore exeunte nares li- niuntur. Hęc ſunt quę ex veterum monumen tis collegi, quęque tuis petitionibus ſatis eſſe poſſe putaui.

Cupiens modo exequi id quod claritas tua Magnifica heri mihi commiſit, quę coram Il- luſtriſs. Collegio ſuperioribus diebus longio- re Sermone a me dicta ſunt, curſim ãnotabo.

Quærebatur ſiquidem a Sereniſsimo Prin cipe: num ſi aliquis vitam profunderet febre peſtilenti, cuius cutis maculis vocatis peti- chijs effloruiſſet, familiares a reliquorum ho minum ſotietate arceri debeant. Quod quidã

ex ministris clarissimorum Prouisorum ad sanitatem firmiter enunciabant. Res mihi difficilis videbatur idque ob maximam nominũ quibus utebantur confusionem, nam quidã maculas illas pestem esse contendebant. Alij nonnullas ex ipsis pestiferas vocabant, ut ijs adhibitis distinctionibus aliquid pro sua quisque statueret sententia. Volens tamen Serenissimo Principi pro viribus satisfacere, ut nominum homonymian deuitarem, ad eorum naturam confugi, quinque in aceruum colligens, quę mox digererem, interquæ.

Primum rñem quęreret ob quam pro contage euitanda homines inuicẽ separari debẽt.

Secundum, quid nam sit illud quod pro separationis ratione sumptũ fuerat declararet.

Tertium, id quod inuentum est ad ultimas usque species diuideret.

Quartum, distinctionum rationes commonstraret.

Quintum vero, quęstionem dilucidaret. Quorum primum tam apertã habet veritatẽ, ut non modo Medicis, sed etiam plebeis notũ sit qui omnes asserunt contagem dici illã, qua unus alium hominẽ afficit, eosq;, qui sic fiunt morbos contagiosos appellant. Vnde factum est ut eos, qui talibus affectibus correpti sunt, pariterque alios qui cum ipsis fuerint, in reliquorum hominum consessum nõ admittant.

Sed quid ſit illud quod contages dicitur (ut ſecundum expleam) neſciunt plebei, eſtque id quod à perito Medicò addi oportet. Eſt autem contages quędam conſimilis corruptio mixti ſecundum ſubſtantiam, ab uno in alium tranſmeans, infectione in particulis viſum effugientibus primitus facta.

Pro tertij declaratione, duas eſſe omnium contagionum primas ſpecies ſtatuere oportet, nam quædam ſunt, quæ ſolo contactu alios afficiunt. Alię quę præter infectionem, quam contactu adferunt, fomitem etiam relinquunt. Rurſus earum quæ fomitem relinquunt, quędam breui tempore illud ſeruant, & ad propinqua ſolum. Quædam vero diu perdurare, & etiam ad diſtans ferri poſſunt. Harum diſtinctionum ratio eſt ſeminariorũ quibus agunt, natura, pro qua magis, minus uè alterantibus poſſunt reſiſtere. Effluunt ſiquidem a rebus contage affectis corpuſcula quędam minima (athomos vocant) quę aeri permixta, quam primũ corpus ingreſſa ſunt, partes eius quas contangunt minimas, in propriam naturam conuertunt, atque hæ reliquas ſibi ſimiles reddunt, neque prius ceſſat hæc conuerſio (modo nihil prohibeat) donec corpus totum permutatum fuerit, & corruptum, ſunt tamen aliqui, qui non corpuſcula, ſed ſpeties ſpiritales hæc dici velint, aiunt-

que ingenitum esse omnibus formis se se quo magis possunt propagare, quod quidem faciunt formę illæ crassæ, quę materiales dicuntur: verum cum propagare se per eum modum, & existentiam, qua ipsæ sunt, non possint, saltem tamen superficialem sui gradum producunt, quem Epipolim vocant, qui ob sui tenuitatem contrarium non habens, ceu soboles quędam momento gignitur: quę tenues, & superficiales formæ in primis possunt representare id quod sunt, usq; ad crassas illas a quibus productæ fuerunt, ac ob id species, & simulacra illarum dicuntur, ob tenuitatem vero, & quod statim gignantur spiritales appellantur, eiusdem tamen rationis sunt cum ijs quæ crassæ & materiales existunt. Quę licet subtiliter immaginata sint, mihi tamen non probantur, idque quod aduersus Ficini de cęcis proprietatibus sententiam attulimus hęc pariter infirmabit. Nam vel hæ species meræ sunt spiritales, vel Epipoli illi iuncta est quędam portio materiæ. Si spiritales nihil generare possunt, quod omnibus philosophis est in confesso, supra siquidem ostendimus primis id qualitatibus tantũmodo deberi. Si materiæ inhereat Epipolis, corpora magis, quam species dicentur, & erunt. Melius itaque fuerit omissis chimeris cum Democrito dicere illa esse corpuscula visum effugientia.

Quæ pro modo suę mixtionis (ut Quartum magis explicem) & eorum subtilitate plus, minus uè perdurare possunt. Quę nanque validam mixtionem sortitæ sunt, ea in fomite seruari, & diu perdurare, & ad distans etiã ferri possunt. Quæ inualidiorem, in fomite diu quidem seruantur, non tamen ad distans feruntur. Quæ minus fortem adhuc, ipsę quidem in fomite seruari, sed non diu possunt, neque ad distans ferri. Reliqua vero ab nimiam quam ex mixtione resistentiam nacta sunt, contactu tantũmodo affitiunt, neque in fomite seruantur, minus uè ad distans feruntur. Si vero tenuuia fuerint magis penetrant, & in quorundam foraminibus conduntur. Vnde neque aeri subiecta sunt, neque multis alterationum extrinsecarum. Est autem rerum fortis mixtio duplex, vna in duritie consistens, ut ferri, lapidum, & eiusmodi, quorum minimę partes, per multos annos seruantur, cuius præsens negotium neque verbum aliquod requirit, altera quæ in lentore, & plurima elaboratione est constituta. Est autem elaborata mixtio, quæ ex minimis, & valde agitatis partibus constat. Talis vero euadit in illis euaporationibus in quibus (eo quod conclusæ sunt) id quod euaporat, non dispergitur, sed valde agitatum minutissime commiscetur. Si igitur contagionũ

ſeminaria ex ijs, quæ lentorem habent conſtiterint, ſimulque elaboratam mixtionem habuerint, & contactu afficere, & diu poterunt ſeruari, quod in Elephantiaſi, & phtiſi clare conſpicitur, dum horum morborum ſoboles in parietibus, tabulatis, & veſtibus, pluribus menſibus, & interdum annis ſeruatas eſſe vidimus. Quæ vero validius agitata fuerint, non modo contactu afficere, & diutius perdurare, ſed etiam in alias, vel diſtantes regiones transferri poterunt, talia ſunt quæ peſtilentiam faciunt ſeminaria, nam in ijs, quæ peſtifero morbo laborant, corporibus, calor igneus partes intimas, & concluſas obſidet, quo fit ut illi, quos agitant, ſucci in extimas partes efferri nequeant, ſed in penitioribus detenti, tam valide elaborantur, ut quæ ex ipſis fiunt ſeminaria, ex minimis particulis ſint commixta. At ſi mixtio non ita fuerit elaborata, & lentorem inſignem non habuerit, poterunt quidem genita ſeminaria contactu afficere, & quendam etiam fomitem ſeruare, qui tamen neque diutius perduret, nec ad longinqua deferri poſsit, hæc contagis initia in cutis affectibus conſpiciuntur, ut Scabiæ Pſora, Lepra, Variolis, Morbillis, & vocatis Petichijs, humores ſiquidem, ex quibus facti ſunt, elaborari valde non potuerunt, nec in minimas partes diuidi, nam in penitiori-

bus partibus non fuerunt conclusi, sed magna eorum pars è venis magnis in paruas, & ab ijs in minores est delata, donec in meatus lacertorum corporis peruenerit, neque lentorem aliquem effatu dignum obtinuit, prę-sertim illi ex quibus morbilli, variolæ, & peticchiæ fiunt. Lentor siquidem viscidæ pituitæ debetur, qualis in eiuscemodi maculis non conspicitur, quod ex illarum colore facile diudicari potest: color nanque corporis humorum dominium ostendit: vidimus siquidem sæpius nos, viderunt & alij, ut experientia nostris etiam subscribat rationibus, post obitum quorundam qui cum peticchijs animam ægissent, certos idem cubile incolumes habitasse, quod reseratis fenestris tantum, & ianua, ab aeris perspiratu cuncta morbi seminaria extincta fuissent. Quod si humor ex quo contagis seminaria facta fuerint, lentorem non habuerit, valideque mixtionis expers sit, simulque plurimum aqueihumoris obtineat, neque ad distans ferri, nec diutius seruari poterunt, sed solo contactu afficient, quod in marcescentibus fructibus conspicitur.

His constitutis pro quęstionis dissolutione dico. Primo eos tantūmodo a reliquorum hominum conuentu arcendos esse, quorū contages pendet a seminarijs, quæ dissoluentibus maxime possunt reluctari, ac ob id in longū

tempus perdurare, & ad distans etiã deferri.

Dico secundo, illos qui pertractarint mortuos ex febre malorum morum cum petecchijs, quique cum eis fuerint, in hominum societatem esse admittendos.

Dico tertio, minime sentiendum esse cum ijs, qui iuxta morbi sæuitiem homines inuicem segregant, sed magis proseminariorum contagis natura id agendum esse, nam si vera esset illorum sententia, illi qui variolis corripiuntur, minus ab aliorum conuentu essent abdicandi, quàm illi qui pręsentissimum venenum hausissent, quod tamen secus agunt omnes, nam venenati homines alios non afficiunt. Variolis autem correpti, alijs contagem impertire possunt.

Hæc sunt, vir optime, quæ non tam existimationis meę, quàm veritatis dicendæ gratia mihi occurrere, siquid tamen forte offenderis, quod minus probè dictum iudicaueris, rem mihi gratissimam feceris, si illud uti male natam prolem sustuleris, & penitus confoderis. Vale, meque ut soles ama, & foue. Ex Ædibus nostris Kal. Iulij. M.D.LVI.

FINIS.

